

Doc. 31

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Doc. 31

[1240 circa?]

Neapolitani studii doctores Alexandrine, Papiane, Farenille filie Phutifar laborum archimandritis iuxta vitam meritis premium.

Impudicarum proprium est mulierum suorum notas criminum obicere aliis et culpas proprias castis mulieribus adaptare. Ideoque non miramur si ea nobis scribitis que vobis scriberemus, et vestra nos antecessit querela ubi nostra debuit querimonia prevenisse, sic assis clamat superius et rote que premuntur inferius conticescunt. Dum unum nos ledimus, inde vos pati fortius proclamatis. Satis enim patet undique intuentibus qualiter hos, oves nostras, usque ad corium totondistis; quia unde vobis tot latia ornamenta, videlicet superligaria capitis, monilia pectoris, in aures auree murenule, gucturis armille, manuum ad digitos anuli, ad lumbos zone, ad pedes sandalia, vermiculate vestes et cetera munera que in vestris thalamis offeruntur, nisi a scolaribus quos in scolis nudis intellectibus reliquistis? Dic tu igitur Papiana, nonne tuus Aristarcus unam unciam tibi proiecit ac obtulit per fenestram? Et tu Alexandrina nonne codices et digesta tuus tibi obtulit Foroneus, cui prorsus introitum denegaras? Et tu filia Putifar, plena dolis multis, nonne tibi decreta cum decretalibus suscepisti cum tuo Biblio tota nocte in solaciis conversata? Eodemque discedente, cum a te peteret solacium instantis amici dum compareret cum veteribus scartapellis, maioribus impinguata vel incrassata muneribus, eundem penitus abiecisti.

Recedite igitur, recedite et abite et nolite tangere, quia non est conventio lucis ad tenebras, nec bene conveniunt nec in una sede morantur philosophia et luxuria, que contradictorio modo sibi ad invicem adversantur.

4

2

3

Cfr. *Ioh.*, 20, 17.

Cfr. *II Cor.*, 6, 14.